

*legem Macometi obseruant*

siue legis nam ipsum uinum de cetero non appellant quia mutato sapore mutatur etiam nomen vinj./

**J**asd est in confinibus persye ciuitas multum Nobilis & magne mercationis in qua laborantur multi drapi de syrico legem machometi obseruant. sunt etiam in ea multi luci dactulos producentes per quos equitari potest. sunt etiam ibi multe uenationes siluestrium. ibi sunt perdices & corturnices habundanter & qui de hijs delectantur inde multo solatio recreantur habentur etiam ibi honagri scilicet siluestres asini ualde pulcri/

*Rex mouet quoddam dubium*

*quod diuersitas territorij ad diuersos mores homines conducit*

**C**hermam quoddam regnum est in confinibus persie uersus leuantem quod heredes antiquitus succedebant/ in isto regno lapides oriuntur nomine turchiese qui fodiuntur in uenis montium inueniuntur etiam in montibus illis uene calibis & andaniqui in maxima quantitate in hyeme tam intensem frigos h[ab]etur quod uix homo potest euadere continue portando multas uestes| & peles. 9<sup>r</sup> quoddam experimentum enarabitur quod factum fuit in regno chermam nam gentes chermam sunt bone plane humiles & pacifice & mutuo sibi seruiunt quantum posunt quare rex chermam suis sapientibus existentibus coram ipso dixit dominij multum miror ignorans que sit causa huius videlicet cum in regnis persye que tam uicina sunt nostro districtui sic male gentes & pessime habeantur qui inter se continue se occidunt. & inter nos qui quasi unum sumus cum eis fere nunquam oritur scandalum neque irra cui responderunt sapientes quod teritorij erat causa quare tunc rex ad partes persye misit & specialiter ad regnum yspaan superius nominatum/ habitatores cuius alios in malis omnibus excedeant & ibi onerari fecit iuxta consilium sapientum suorum viij naues de terra & ad regnum suum adduci qua adducta ipsam in certis sallis admodum bituminis fecit extendi & postmodum super ponit tapeta ne deturparentur/ existentes in ea propter molitiem & dum in illis salis discumberent ad edendum statim sumpto cibo unus in alium uerbis iniuriosis & actibus cepit surgere & se inuicem uulnerare. Et tunc dixit rex quod uere causa huius erat teritorium/—

**C**um desensum est per istas duas dietas inuenitur quedam planicies magna que uersus meridiem durat per v. dietas in principio istius planicie est quedam ciuitas nomine camadi que iam fuit nobilis ciuitas & magna ualde set nunc non sic planicies uero calidissima est producit frumentum & alia blada nascuntur poma granata citrana| & multi alij fructus & poma que in nostris 9<sup>r</sup> partibus frigidis non nascuntur conuersantur ibi turtures infiniti propter multas pomelas quas ibi inueniunt ad edendum & sunt sine numero/ nec saraceni de eis comedunt unquam quia eos aborrent inueniuntur &[iam] ibi fassiani franculini & alie aues multe./

Nota quod super riperiam maris ciuitas quedam nomine cormos que portum habet